

VENERABILI FRATRI
JOANNI EPISCOPO STI. GERMANI DE RIMOUSKI.
CANADA.
LEO P. P. XIII.

Vener. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Merito, Venerabilis Frater, das gloriam Deo debitam
que illi gratias persolvis quod non siverit, Ecclesiam
diu suam lugere viduitatem. Evidem imparem prorsus
in Nobis ejus necessitati Rectorem illi praefecit; at
qui adolescentulum elegit ad populum suum a Philistaeo
liberandum, potest utique et infirmitate Nostra
uti ad dissipandas hostium suorum machinationes
viresque frangendas: manus enim ejus non est abbreviata.
Ipsi itaque soli fidentes omina tua, quibus suffragatu*m* infallibilis Christi promissio, libenter excipi-
mus; et grati officiis tuis, ominamur, ut quam de
malo victoriam a bono referri desideras, eam non solum
adductam videre valeas, sed amplioribus etiam in dies
auctam incrementis prosperitatis Ecclesiæ et populo-
rum. Deus tibi constantiam et auxilia sufficiat ad illam
pro viribus parandam ac maturandam; et auspex in-
terim superni favoris tibi sit Apostolica Benedictio,
quam i*præcipua* Nostræ benevolentiae testem tibi,
Venerabilis Frater, Cleroque et populo tuo toti pera-
manter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum 27 Junii 1878.

Pontificatus Nostri anno Primo.

(Sign.)

LEO P. P. XIII.